

www.e-rara.ch

**Pavli Iovii Novocomensis Episcopi Nvcerini Elogia Virorum literis
illustrium, quotquot vel nostra vel avorum memoria vixere**

Giovio, Paolo

[Basel], M D LXXVII

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-132417>

Franciscus Marius Grapaldus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

malæ partæ laudis loco strenuè deturbavit, quum inchoatum poema nobile, Pontano atque Actio censoribus recitasset. Cæterum Carmelitæ satis ad laudem fuit, quod per quindecim secula neglectos à ciuibus Andinos fontes salubriter ebiberit, scilicet ut fatali monitu limpidioris eius aquæ siphones Lelio ac Hippolito Capilupis fratribus monstrarentur. Octogenario maior Mantuæ decessit non planè felix, quum in extremo vitæ actu defensionem contra Criticos scribere cogeretur, qui eius poemata obeliscis non inanibus misere confodissent. Sacro poetæ mortuo cucullati eius ordinis sacerdotes prolixè parentarunt. Federicus autem Princeps marmoream effigiem cum laurea posuit, quæ in arcu lapideo iuxta Virgilij Maronis simulacrum, pia hercle, si non ridenda comparatione conspicitur.

Myrtei.

*Alter hic iacet à Marone Vates,
Natus Mantuæ, & is quidem Poetæ
Dignior titulo, nisi incidisset
In fluctus varios scientiarum,
Quo Musas coluit minore cura.
Primus hic tamen à Marone natus
Mantuæ, coluit Poeta Musas,
Andinosque bibit sacro ore fontes.*

Latomi.

*In ponte iuxta quos locatos cernitis,
Virtutis ergò, patriæq. gloria,
Vterque Vates, & quiden ortu cinis est.
Quos cognitos licet tamen ne nescias,
Alter Maro, alter ille Mantuanus est,
Quem nil vetabit & Maronem dicere,
Pensare venam si potest professio.*

Franciscus Marius Grapaldus.



V V M Parmenses post exactos Gallos ad Iulij pontificis auctoritatem se contulissent, Marius Grapaldus à præstanti facundia, & insigni corporis proceritate legationis princeps, luculentam de laudibus inuicti optimique pontificis habuit orationem: ediditque item pari argumento carmina eximie gravitatis. Quo demum officio appositè ac eleganter patriæ præstito, honoris causa lauream à Pontifice de manu erudito capiti impositam solenni ceremonia, in Vaticano consecutus est. Exinde tanto honore alacer, Musas tanquam non obscure propitias vehementius lacessiuit, ut ex publicatis poematibus ostenditur. Sed multo vberius & latius ingenij famam propagavit, edito libro de Partibus ædium, quo per optimas disciplinas perornatum diligenti cultura ingenium demonstravit. Fato functus est in patria post quinquagesimum ætatis annum,

antum, quum interiores meatus emittendo lotio globosior calculus obstruxisset.

Georgij Anselmi.

*Emeritam hic laurum Aonides, plectrumq, lyramq;
Grata tibi ex merito turba Grapalde dicat.
Vt tumuli misera erexit leue nomen inanis,
Solu it & ad vacuos, vt sua iusta rogos.
Nam te, nec fas est humili cohibere sepulchro
Tam rara insignem qui struis arte domum.
Reddit & vbi doctis voces, vulgoque receptae,
Haud dubiam faciunt non obijisse fidem.*

Iani Vitalis.

*Tu Grapalde tibi magna pro mole sepulcri
Erigis ingentem perpetuamque domum:
Occupat illa suis immensum finibus orbem,
Altaq, sublimis sidera tangit apex:
Et merito, neque enim tumulo tua gloria claudi,
Cum volitet mundi claustra per ampla potest.*

Latomi.

*Collustrans amplas Marius quas struxerat aedeis
Extulit artificem Mors stupefacta manum.
Quae tamen, vt bile iusto feruentior atra,
Subridens, tumulum (dic, ait) hospes, vbi?
Iam video caeca es, nedum (intulit ille) maligna:
Pro tumulo erexi hanc inuidiosa domum.*

Thomas Linacrus.



THOMAS Linacrus ex Insula Britannia ad perdiscendas Graecas literas in Italiam profectus, Florentiae Demetrium & Politianum audiuit, eaque enituit morum suauitate, atque modestia, vt a magno Laurentio liberis suis, familiari studiorum consuetudine, quanquam aetate maior, socius adderetur. Inde vero multis variae doctrinae ornamentis adauctus, quum Romana quoque ingenia certius agnoscenda, ac opulentiores bibliothecas inspiciendas existimaret, ad Urbem contendit. In primo autem appulsu forte accidit, vt Hermolao Barbaro amicitia iungeretur. Nam ingressu Vaticanam Bibliothecam, & Graecos codices euoluenti, superuenit Hermolaus, ad pluteumq; humaniter accedens, Non tu hercle, inquit, studiosè hospes, vti ego planè sum, Barbarus esse potes, quod lectissimum Platonis librum (is erat Phaedrus) diligenter euoluas. Ad id Linacrus laeto ore respondit, Nec tu sacrate heros, alius esse iam potes, quam ille fama notus Patriarcha Italarum Latinissimus. Ab hac amicitia (vti casu euenit, feliciter conflata) egregijs demum voluminibus ditatus in Britanniam redijt: datusque est praceptor Arcturo Regis filio: cui dicatam Proeli Sphaeram legimus. Transtulit demum ex felici vigilia Galeni